

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Philosophie moralis s. ethica - Ettenheim-Münste 104

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Theses

[urn:nbn:de:bsz:31-110979](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110979)

Theses
En Ethicâ, seu Morali Disciplina.
Selecta.
De Naturâ Ethices.

1.

Ethica, sive Moralis Disciplina definitur, Scientia practica, quæ circa actus humanos, quatenus ad honestatis regulas æternæ felicitatis intuitu conformandos occupatur. Brevius dicitur, Scientia bene beatèque vivendi. Secundum tria vivendi genera triplex est, Monastica, seu privata, quæ solitarium hominem regit; Oeconomica, seu domestica, quæ familiam; et Politica, quæ Reipublicam curam gerit. Duas posteriores in primâ contineri, et ab ipsâ fluere censemus. Enimvero necesse est, ut quis prius bonis moribus sit imbutus, sequè ipsum probe regere noverit, quatenus familiam suam, vel Reipublicam bene feliciterque administret.

De Summò Bonò.

2.

Bonum generatim definimus id, quod cuiilibet gratum est et conveniens. Dupli-
citer res in bonum tendunt, et quod sibi gratum est et conveniens appetunt, innatò videlicet, et elicitò appetitu. Innatò vocatur propensio uniuersique rei con-
genita, quæ in id, quod conveniens et gra-
tum est, propenditur: appetitus iste ci-
trâ rationem et voluntatis actionem
constat, rebusque inanimatis etiam in-
est. Elicitò verò propriè ad naturam ra-
tionalem spectat, estque ipsius voluntatis
actio, quæ, præviâ intellectus cognitione, in
bonum sibi congruum fertur.

Voluntas bonum, prout tale ab ipsa apprehensum, odio habere nequit. Eminenter voluntas odire non potest id, quod eam suaviter afficit, ipsius quippe natura est, ut in id, quod sibi gratum est, amore propendeat. Neque etiam malum quia malum amare potest, quia malum quia malum unquam habet illicium, quo ipsam ad se pertrahat, cum enim amor sit propensio in id, quod actu delectat, aut placet, vel gratè afficit, ea est illius natura, ut sine quodam illicio evitari haud possit.

Summum bonum est id, quod cuilibet pro omnibus aliis gratissimum est et convenientissimum. Invenitur solum Deum summum esse hominis bonum, in quo ejus felicitas posita est; quippe quod solum illius mentem seu animam ita complere potest, ut nihil ipsi amplius desiderandum super sit, quod verae felicitatis unica est ratio.

De Virtutibus Moralibus.

Virtus moralis definitur, mentis institutum et vigor, quo ad ea, quae bona esse credimus, facienda ferimur. Dividuntur Virtutes morales in Principes, seu Cardinales, quibus nempe, tanquam cardinalibus, tributa tota humana vita vertitur; et in Adjunctas, seu Coniunctas, quae à Cardinalibus profluunt, aut ad eas referuntur. Cardinales vulgò quatuor numerantur, Prudentia scilicet, Iustitia, Fortitudo, et Temperantia. Prudentia definitur, Summa et cons-

69.
tans voluntas ea rectè dispendi, et solerter
examinandi, quæ optima sunt. Iustitia
est constans et perpetua voluntas cuique
ius suum, seu quod æquum et justum est, tri-
buenendi. Fortitudo autem definiri potest,
constans propositum pericula suscipiendi, labo-
resque perferendi, quando illa optima esse
existimamus. Temperantia denique
est constans et firma voluntas voluptatibus
et cupiditatibus corporis resistendi, quæ potissi-
mum tactum et gustum spectant.

De animi affectuum seu passionum
usu et regimine

6.

Boni sunt animi affectus seu passionēs,
et ad vitæ humanæ perfectionem conducunt,
modo duas sequantur regulas, et ob illis un-
quam devient. Prima est, ut objectum, cir-
cà quod versantur, legitimum sit; nam id eo
ex divinâ providentiâ nobis ingenti videntur,
ut illorum ope virtutem sectemur, et oppo-
sita ei vitia fugiamus. Secunda, ut pas-
siones nostræ objectis proportionentur, et
rationis lumen in motibus suis sequantur:
nam ea est rationis vis, ut objectorum natu-
ram exactè contempletur, et uniuscujusque
qualitates percipiat, et à cæteris discernat. Qui
eam sequitur, ab errore tutus est, et contra
omnes deceptiones instructus. Rationis igitur
præceptis auscultat, qui præstantissi-
mum bonum summò affectu prosequitur,
et cætera pro meritis et dignitate aut me-
ritis amat, vel cupit.

7.

Quod passionum regimen spectat, quò
iis plene dominari dicamur sequentia sunt
observanda, iò ut de re, quæ nobis offertur,
cautè ac solerter inquiramus, atque à feren-
dò de illâ iudiciò abstinemus, quamdiu

passione aliquâ impelimus, et in unum po-
tius objectum, quam in aliud propendere vi-
demur. 2^o. Ut quamdiu serenâ mentem,
et ab omni passionum nebula liberî sumus,
aspiciamus tum bona tum mala, que no-
bis toto vitæ nostræ curriculo contingere pos-
sunt, examinare, eorumque naturam et præ-
tium probè discutere, ut de iis postmodum
vera iudicia efformare valeamus, ac certò
dignoscere, que fugere aut amplecti nos
oporteat, quidquid in contrarium oborta pas-
siones, vel supervenientes rationes suggerere
possint. 3^o. Ut desideris nostris frenum
imponamus, et ultra nature exigentiam
cupiditates nostras non extendamus. Verum,
pretermissis cæteris, maximum, quod cogi-
tari potest, contra prævios affectus remedi-
um est Amor Dei, quem naturalis cognitio
in animis nostris ingenerat: quia, cum hæc
passio omnium, quibus in hæc vitâ affici
possumus, iucundissima, imò et vehemen-
tissima esse possit, vim habet nos ab aliis
passionibus liberandi, et non modò animi
vitia corrigendi, sed et omnem morborum
aerobitatem, atque hujus vitæ molestias,
que uniuscuiusque conditionem comitan-
tur, tollendi.

De Actibus humanis, eorum
libertate, bonitate, malitiâ et re-
gulis.

8.

Actus humani nomine ea actio intelli-
gitur, que à libero principio proficiscitur,
atque fit ab homine humano modo operan-
te, id est, consultò et cogitatò agente. Qui
actuum humanorum libertatem negant,
merentur, ut Stipiti alligentur, et ibi tam-

41.
dum frustibus cadantur, donec ab eis liberari postu-
lent, fateanturque in percutientis potestate
esse à verbis desistere. Statuendum
ergo liberi arbitrii potestatem homini à Deo
esse concessam, eumque non necessitate,
sed voluntate impedi, dum operatur. Haec
autem nostrarum actionum seu arbitrii
nostri libertas ab ipso Deo, qui eam concessit,
ita pendet, ut ultra eius imperium et volun-
tatem quidquam non agamus.

9.
In quolibet actu humano duplex conside-
ratur bonitas, una natura, seu, ut alii vo-
cant, Entitativa, qua omnibus rebus con-
venit, in quantum naturam quandam et en-
titem habent; altera Moralis, qua ni-
hil aliud est, quam ipsius humani actus cum
recta ratione conformitas. Sicut è contra,
malitia moralis est alienatio et deformatio
à recta ratione, cum nempe ei aliqua
perfectio deest, qua secundum rectam ratio-
nem ei inesse deberet. Rectam verò ratio-
nem vocamus verum de unaquaque re
iudicium ab omni opinionum furo liberum,
quo Dei et naturae leges dignoscuntur, et
de unaquaque re secundum legis praescrip-
ta recte ac prudenter iudicatur. Exis-
timatur ergo actus bonus moraliter, si bo-
num respiciat secundum rectam ratio-
nem appetendum; si secus, tunc mora-
liter malus est: actus enim humani ab
objecto bonitatem vel malitiam praecipue
mutuantur, ut et etiam à circumstantiis
quibusdam, quae ideo sic nominantur,
quod illos veluti circumstantent, atque sint
accidentia quaedam, quae in illis observan-
tur; Septem passim numerantur hoc ver-
iculo comprehensa:
Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, ut, quomodo,
quando.

Duplex Statuitur generatim actuum humanorum regula, una prima et remota, scilicet Lex aeterna, quae est Summa Dei ratio vel ordo, quo cuncta sapienter disponuntur: altera derivata et propior, nempe ratio humana, quae est veluti quaedam lumina istius ac divina rationis participatio. Definitur generatim Lex, regula agendorum, et omittendorum. Comparatè ad Legislatorem verò dici potest, recta ratio imperandi atque prohibendi, vel ordinatio rationis imperans honesta, prohibens contraria. Lex omnis est vel naturalis, vel positiva. Naturalis est immutabilis, Definiturque, expressio divina legis, quam Deus ipse mentibus nostris inserit ad discernendum, quod naturâ suâ bonum, et faciendum sit, vel quod naturâ suâ malum, ac fugiendum sit. Vel in Deo spectatur, et sic vocatur Lex aeterna; vel in nobis, et tunc recta ratio, vel lumen naturale dicitur, vel simpliciter legis naturalis nomen retinet. Lex positiva dicitur, quae à liberâ Legislatoris voluntate posita est; adeoque mutari et aboleri potest. Est vel divina, vel humana: prior à Deo, posterior ab hominibus lata est. Lex divina veteri et novo Testamento continetur, unde vel vetus, vel nova est. Lex humana dicitur ea, quâ superior, publicam potestatem habens, subditos adstringit, ut ex eius præscripto actiones suas ordinent. Est duplex, Eclesiastica scilicet, quae sacris Concilioorum, præsertim generali-

um, S: Patrum, ac Summorum Pontifi- 73.
cum Constitutionibus continetur: et
Civilis, quae in Reipublica Constitutionibus,
vel in Imperatorum aut Regum edictis con-
sistit. Ut Lex humana obliget, necesse
est, ut illis, quorum interest, innotescat,
quemadmodum et legislator.

De variis hominum officiis, seu
obligationibus.

ii.

Obligationis nomine intelligitur quod-
dam juris vinculum, quo ad aliquid facien-
dum, vel omittendum adstringimur. Tri-
plex in homine dignoscitur, erga Deum
nempe, se ipsum, et proximum suum.
ut scilicet in Deum pius, in se ipsum
providus, et in proximum suum aequus
sit.

Finis.